



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De epistolis Dionysii, in quibus de festis & Paschate praescribit. Cap. XV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

tudinis similitudinem quàm proximè accedentes, eos qui tanquam seruatores illis fuissent, id est, qui illis aliquid salutis & subsidii attulissent, apud se honore ad hunc modum afficere consueuerant. Iacobi enim apostoli cathedram (qui primus erat ad Hierosolymitanæ ecclesiæ episcopatum à seruatore, & cæteris eius apostolis delectus, quemque fratrem Christi nuncupatum diuina perhibens eloquia) ad istud tempus seruatam, episcopi qui illic ordine successerunt, permagno æstimant: vnde declarant, perspicue, quemadmodum veteres patres ad nostram vsque ætatem sanctis viris, ob eorum veram erga Deum pietatem debitam venerationem & tribuerint, & adhuc tribuere non cessent. *Ista hætenus.*

*De epistolis Dionysii, in quibus de festis & Paschate præscribit.* CAP. XV.

**D**ionysius præter epistolas à nobis ante citatas, alias eodem tempore, quas *ἑορτασιν*, id est de festorum celebratione, composuit: in quibus orationes, quæ festi Paschatis laudes plenius vberiusque continuerunt, instituit. Ex quibus vnã Flamio, alteram Domitio, & Didymo dicauit. In hac canonem octo annorum citat, quod festum Paschatis non alio anni tempore, quàm verno æquinoctio celebrari debeat. Aliam præterea epistolam ad compresbyteros Alexandriæ exarauit: atque ad alios diuersos, ingruente persecutione, diuersas scripsit epistolas.

*De hiis quæ acciderunt in Alexandria.* CAP. XVI.

**V**bi iam pax, sedata propè persecutione, constituta fuit, Dionysius rediit Alexandriam. In qua vrbe tam grauis seditio & bellum intestinum de integro ciebarur, vt fratres in ciuitate, propterea quòd omnes in alterutram seditionis partem diuisi erant, Dionysius nullo modo posset inuisere: vnde in ipso Paschatis festo ab ipsa Alexàdria velut exul ab extera regione per literas cum